

2121

LITURGICI.

2122

cuore. *elo non de dubitare de la sua salute.* Interrogationes hae latine habentur in edit. *Opp. Anselmi Paris.* 1721. p. 194. f. et bis *Vol. I.* a me relatae sunt.

DCCCLXXVIII.

- U. 662 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 606. 8. maj. eleganter exaratus, rubricis enotatus, olimque ejusdem *Job. Fabri*, itidem *Breviarium* est, et quidem ad *Bobemiam* pertinens, ut fidem faciunt Divi Tutelares Regni in *Calendario* praevio minio distincti. Inter Officia de Sanctis *fol. 595.* comparet *Caroli M. Imperatoris confessoris non pontificis*, et *fol. 599. Longini martyris.*

DCCCLXXIX.

- U. 660 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 616. 4. min. bene quamvis non una manu perscriptus, coloribus illustratus et anno 1533. *Matthaei Mlakbar Isauratii*, pariter *Breviarium* est, et quidem Dioec. *Salisburgensis*, ut in praefixo *Calendario* mense Martio *Depositio S. Rudberti ep.* Junio *Erndrudis v.* Septembri *Translatio S. Rudberti ep.* et *Virgilii ep.* Novembri *Depositio S. Virgilii* rubricata denotant, item in ipso decursu *fol. 543. p. 2. Finita collecta fiat processio ad sanctum Rudbertum. fol. 545. p. 2. In dedicatione ecclesie que celebratur proxima die post rudberti in ecclesia salzburgeni,* et *fol. 549. p. 2. Finita oratione fiat processio ad san-*

ctum Virgilium. Oratio in utraque dicenda incipit: *Omnipotens sempiternus deus altare hoc nomini tuo dedicatum &c.* Qui hodie ad recitandas Horas canonicas tenentur, comparent ordinatissima Exemplaria sua cum vetustis ejusmodi *Breviariis*, et de commodis suis sibi gratulentur.

DCCCLXXX.

- Codex membraneus lat. Sec. R. 17 XV. Folior. nunc 481. f. primum lineis longis, dein a *fol. 87.* per duas columnas, probe scriptus, coloribusque varius sacrum Chori Officium, quod vulgo *Breviarium* audit, complectitur, pertinuitque olim ad Ecclesiam Metropolit. *Strigoniensem* in *Hungaria*, ut liquet e sequentibus. Praeit *Calendarium*, in quo miniat *Gerardus, Adalbertus, Ladizlaus, Stephanus &c.* Regni Tutelares. Ad *Februarium* manu Sec. XV. notatur: *Anno domini 1465. prima die Mensis Februarij Obiit Rmus dominus Dionisius de Zects Titt. Sancti Ciriaci presbiter Cardinalis Archiepiscopus Strigonien. et in Regno Hungarie legatus de latere &c.* Ad *Julium* eadem, qua *Calendarium* scriptum est, manu: *Anno d. M° CCCC° XXI. feria sexta proxima ante festum sancte (Margaritae Virg.) hora serotina obiit venerabilis bone memorie dominus petrus prepositus Ecclesie Strigonien. cujus Viri etiam Epitaphium hiulcis constans versibus ad marginem inferiorem legitur, in quo audit:*

Y 2

Pau-

2123

C O D I C E S

2124

*Pauperum amator clericorum magnus promotor
Pater pupillorum egentium et uiduarum.*

Mense *Augusto* ad diem 8. minio notatur: *Aduentus sanguinis christi*. Sacrum ejusmodi *Κειμηλιον*, qualia in pluribus Ecclesiis exhibebantur, *Strigoniensi* etiam illatum memorari censeo, quo vero tempore, consultis variis monumentis non reperi, quamvis etiam in Breviario 1484. impresso idem Festum occurrat. *Aduentum S. Mauriti* in Calendario cuidam Pfalterio praefixo notavi T. praeced. Cod. XXXII. (950.) col. 75. In margine ejusdem mensis notavit subpar manus: *Obiit R. p. et d. dominus Georius de Hochenloch Episcopus patav. et etiam Strigon. 1423.* id, quod ad diem 11. refert *Nic. Schmitth* in *Archiepp. Strigon. P. I. p. 238.* ad diem vero 8. *Georg. Pray* in *Hierarch. Hung. P. I. p. 173.* secutus *Schritovinum* et *Catalogos Epp. Passav.* Breviarium porro ipsum ita coordinatum est, ut *Psalmodiae* de *Tempore* succedant: *Hymnarium*, *Officium pro Mortuis*, de *B. V. Maria*, *Lectionarium* de *Tempore*, et de *Sanctis*, primum speciatim, dein in communi. Atque hic in *Officio de una virgine* Codex abrumpitur. *Officia SS. Indigetum Hungariae* suis locis inserta sunt.

DCCCLXXXI.

R. 24 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc. 301. f. per duas columnas luculente et ele-

ganter exaratus, picturatusque, sed temporum injuria initio et fine mulctatus, quin et membranis e medio evulsis *Psalmodiam* seu *Breviarium Archidioeceseos Strigoniensis* in *Hungaria* complectitur. Praeit *Officium* dictum de *Tempore*, ubi fol. 20. in *Litaniis* invocantur *Sancti Indigetes Regni*, oratur pro *Archiepiscopo*, *Rege* et *Regina* cum *Liberis*, item: *Ut terram istam, et civitatem sanctam ierusalem ab infestatione et potestate paganorum custodire digneris.* Unde liquet, precem hanc eo tempore conceptam fuisse, quo *Palaeestina* a *Christianis* tenebatur. Succedit *Officium pro Defunctis*, de *B. V. Maria*, *Hymnarium*. Fol. 188. incipit. *Commune de Sanctis*, ubi rursus *Officia* de *SS. Hungariae Patronis* cum suis *Lectionibus*, sed a *Festo Briccii Ep.* die 13. *Nov.* folia excidere, uno solo superstite, quod *Syllabum Sanctorum* a *Decembri* ad *Junium* exhibet. In *Hispanorum* militum manus incidisse *Codicem*, argumento est, quod ad oram inferiorem fol. 217. p. 2. legitur. *En el castillo de Strigonia al VII. dias del mes de Julio de mil y quinientos y setes annos, el Sennor Don Luys dela Cueva coronel dela Gente espannola del Reyno de Vngria.*

DCCC-